

### Note on the Text

Scotus's *Reportatio Parisiensis* 1-A is found in the following manuscripts:

- M** MS Oxford, Merton College Library 59
- B** MS Oxford, Balliol College Library 205
- R** MS Biblioteca Apostolica Vaticana, Borghesi lat. 325
- T** MS Turin, Biblioteca universitaria K II 26
- V** MS Vienna, Staatsbibliothek 1453

The text that follows is a working edition of Merton 59 35v–37v and Balliol 205 34v–36v.

< Duns Scotus >

< Reportatio Parisiensis I-A d. 3 q. 4 >

Utrum in parte intellectiuia proprie sumpta sit memoria habens speciem intelligibilem realiter distinctam ab actu intelligendi et praeuiam actui intellectus.

Quod non uidetur:

- 5 Quia omnis species repraesentat obiectum sub ratione sub qua natum est imprimere eam; sed obiectum non est natum imprimere speciem nisi sub ratione singularis; ergo intellectus nullam potest recipere speciem intelligibilem ab obiecto in mente. Maior est plana, quia si obiectum imprimit speciem non sub ratione qua natum est imprimere eam, tunc imprimit aliud quam speciem. Minor patet, quia actiones sunt singularium.

10 Item. Praesentia obiecti respectu potentiae causa est speciei in potentia, et non e conuerso; ergo non per speciem ut per causam obiectum est praesens potentiae.

15 Praeterea, si esset species intelligibilis in intellectu, informaret eum sicut accidens subiectum suum; ergo intellectus patietur ab obiecto passione reali; non ergo passione intentionalis, et sic sequitur quod intelligere non est “motus rei ad animam.”

20 Item. Si potest esse una species intelligibilis in intellectu, et plures; sed quaelibet species naturaliter repraesentat suum obiectum; ergo qua ratione una species mouet ad suum actum intellectionis, et omnis uel nulla. Non omnis, quia tunc omnes intellections essent simul. Ergo nulla mouebit, et sic per consequens species non est ponenda in intellectu ad repraesentandum obiectum, nec ad mouendum intellectum, nec ut necessaria ad actum intellectionis.

25 Contra:

---

1 Utrum] M 35v7 B 34v5

---

1–3 Utrum...intellectus] DUNS SCOTUS, *In De anima* q.17, *Lectura 1 d.3 p.3 q.1, Ordinatio 1 d.3 p.3 q.1*

5–10 Quia...singularium] HENRICUS DE GANDAVO, *Quodlibeta* 5.14 (174Y)

11–13 Praesentia...potentiae] *ibid.* 174Z

14–17 si...animam] *ibid.* 175F

16–17 motus rei ad animam] ARISTOTELES, *De anima* 3.4 429<sup>a</sup>13–15

18–24 Si...intellectionis] HENRICUS DE GANDAVO, *Quodlibeta* 5.14 (174Z, 179B)

Intellectus quandoque est in potentia essentiali ante addiscere, quandoque est in potentia accidentalis ante addiscere (II De anima et III et VIII Physicorum); ergo aliter se habet quando est in potentia accidentalis quam ante, quando est in potentia essentiali. Obiectum autem non se habet aliter sed eodem modo. Si ergo intellectus se habet aliter ut est in potentia accidentalis, ergo est mutatus; sed omnis mutatio terminatur ad aliquam formam; ergo aliqua forma praecedat actum intellectionis, et illam uoco speciem.

5

### < I. Opinio aliorum >

[Opinio prima] – Hic est una opinio in qua concordant duo doctores, licet in aliis sibi saepius contradicant. Negant enim omnem speciem impressam, ponendo tantum actum intelligendi imprimi ab obiecto in phantasmate. Et 10 habent auctoritates pro se et rationes.

10

Philosophus III De anima commendat antiquos qui posuerunt “animam esse locum specierum, non totam sed intellectuam.” Certum autem est quod Philosophus ponit species in aliis potentias animae intellective aut subiective, solum autem intellectum dicit locum specierum. Ergo non sunt in eo 15 subiective siue impressivae, sed obiective tantum et expressivae, et in hoc differt ab aliis potentias.

15

Praeterea, Augustinus XIX De Trinitate c. 10 (et ubicumque loquitur de ista materia) dicit productionem uerbi sive ipsum uerbum non gigni a specie, 20 sed de scientia quae manet in anima.

20

Item. Ostenditur per rationem quod non sit species in intellectum, cuius deductio talis est. Sensus non habet sensationem obiecti nisi propter duo: uel quia organum est eiusdem dispositionis cum medio, et sic si medium recipit speciem et organum, quia est eiusdem dispositionis; uel quia species est proxima dispositio recipiendi actum—et neutrum est hic, scilicet in intellectu. Non primum, patet, quia non habet organum. Nec secundum, quia intellectus de se summe dispositus est, nec requirit proximam dispositionem, id est medium. Unde in toto illo processu ab obiecto usque ad

25

---

14 intellective aut] *om. M* 22 talis est] *inv. B*

1–2 Intellectus... addiscere] ARISTOTELES, *De anima* 2.5 417<sup>a</sup>21–417<sup>b</sup>2; *De anima* 3.4 429<sup>b</sup>9–10; *Physica* 8.4 255<sup>a</sup>33–255<sup>b</sup>5

8 duo doctores] *scil. Henricus de Ganda et Godefridus de Fontibus*

12–17 Philosophus... potentias] HENRICUS DE GANDAVO, *Quodlibeta* 5.14 (176K). *Vide etiam Rogerus Marston, De anima* q. 9

12–13 animam... intellectuam] ARISTOTELES, *De anima* 3.4 429<sup>a</sup>27–28

19–20 productionem... anima] AUGUSTINUS, *De Trinitate* 19.10.19–20

3.22–4.3 Sensus... modo] HENRICUS DE GANDAVO, *Quodlibeta* 5.14 (176M)

intellectum agens, non abstrahit speciem a specie siue a phantasmate, sed abstrahit obiectum ab obiecto, sed quia est hoc quod est praesens intellectui et phantasmati, licet alio et alio modo.

[*Opinio secunda*] – Alius doctor adducit rationem et ponit deductionem de organo.

Ratio istius est talis. Ad quod aliquid est primo et per se in potentia, illud et non aliud recipit ab agente proportionali sibi; uirtus cognitiua est in potentia per se et primo respectu propriae cognitionis; ergo ab obiecto proportionato recipit cognitionem, et non speciem.

10 Confirmat hoc idem per Augustinum IX De Trinitate iv, ubi dicit quod forma siue species impressa uisui uisio est, et sic species non potest esse in potentia spirituali quae differat ab actu suo, licet sit in organis potentiarum sensituarum. Sequitur igitur quod intellectus non habet speciem intelligibilem praeuiam actui intellectionis.

## < II. Opinionis improbatio >

15 Sed non intelligo istam conclusionem. Et contra eam arguo quadrupliciter, supponendo quod uniuersale possit a nobis intelligi intellectione abstractiuia, quod omnis concedunt; si autem singulare possit intelligi et esse primum obiectum intellectus, non curo modo.

[*Prima ratio*] – Tunc arguo sic: Intellectus potest habere obiectum actuale per se sibi praesens prius naturaliter quam intelligat; ergo habet speciem obiecti in intellectu et non in phantasmate priusquam intelligat. Antecedens patet, quia sicut obiectum, ita per se condicio obiecti intellectus, cuius est uniuersalitas, praecedit actum intellectus.

Consequentiam probo sic: Eadem species et eiusdem rationis, non est per se 25 repraesentatiua obiecti sub oppositis rationibus repraesentabilis; ratio singularis et ratio uniuersalis sunt oppositae rationes in cognoscibili et repraesentabili; igitur nulla eadem species et unius rationis potest esse repraesentatiua alicuius obiecti sub uniuersalis et singularis. Species in phantasmate repraesentat obiectum singulare sub ratione singularis, ergo non potest 30 repraesentare sub ratione uniuersalis idem obiectum.—Maior probatur, quia

---

7 proportionali] M 36r

10 IX] IV MB 11 impressa] B 35r 20 per se] perfectione MB 21 Antecedens] Consequens M

6–9 Ad...speciem] GODEFRIDUS DE FONTIBUS, *Quodlibeta* 9.19  
11 forma...est] AUGUSTINUS, *De Trinitate* 11.2.2

species sub illa ratione qua reprezentat obiectum, mensuratur ab obiecto. Sed idem non potest mensurari duabus mensuris oppositis, nec e conuerso; tunc enim idem bis diceretur, secundum Philosophum V Metaphysicae. Ig-  
5 itur eadem species non potest reprezentare duo obiecta opposita, nec idem obiectum sub oppositis rationibus obiectiuis.

Dicetur quod non est inconueniens eandem speciem reprezentare diuersa et opposita reprezentabilia, in alio et in alio lumine, ut patet de noctilucentibus, quae in alio et in alio lumine repreäsentantur colorata et lucida; sic in proposito, per lumen intellectus agentis et phantasiae, eadem species potest reprezentare opposita in obiecto.  
10

Contra: lumen non reprezentat, sed est id in quo reprezentatiuum repre-  
sentat, quia lumen in medio est eiusdem rationis siue uideam album siue  
nigrum, quia ratio distinguit essentialiter reprezentatiuum a represe-  
tatiuo; altera tamen est species et reprezentatiuum albi et nigri, et per  
consequens distinctio luminis non causat distinctam rationem represe-  
tandi, sed manente eadem natura reprezentatiui semper reprezentat idem  
reprezentabile et eiusdem rationis—non ergo sub diuersis rationibus.  
15

Confirmatur ratio, quia reprezentatiuum in lumine perfectiori non repre-  
sentat aliud, sed reprezentat idem clarissimum quam in lumine imperfectiori;  
patet de specie albi et nigri in lumine solis et lunae. Ergo licet species in  
organo phantasiae in lumine intellectus agentis clarissimum repreäsentet singulare  
(ut < melius > intellectus possit illud intelligere quam in lumine proprio),  
numquam tamen reprezentat obiectum uniuersale sub ratione uniuersalis,  
per quodcumque lumen.  
20

Exemplum eorum de noctilucentibus non ualet, sed concludit oppositum.  
Nam quaere an eodem reprezentatiuo repreäsentantur illa diuersimode de  
die et de nocte, an alio et alio reprezentatiuo. Non eodem, quia tunc repre-  
sentantur de die sicut de nocte, quia reprezentatiuum prius est aliquid in se  
quam in tali uel in tali lumine repreäsentet. Si alio et alio reprezentatiuo  
reprezentat diuersa illa in noctilucentibus, habetur propositum, siue sit  
idem lumen siue diuersum.  
25

Nec exemplum est ad propositum, sed ad oppositum, tum quia uel sunt dueae  
qualitates sensibiles in noctilucentibus, scilicet lux et color, quarum altera  
multiplicat se sensibiliter et reprezentat rem illam in luce maiori, et altera  
30

<sup>15–16</sup> repreäsentandi] reprezentatiui **B** reprezentati (*del.*) + reprehensibili (*exp.*) **M**  
23 tamen reprezentat] *inv.* **B** 32 sed ad oppositum] *om.* **B** 33 noctilucentibus]  
noctilucentibus **B**

<sup>3</sup> secundum Philosophum] ARISTOTELES, *Metaphysica* 5.15 1021<sup>a</sup>31–1021<sup>b</sup>3  
<sup>6</sup> Dicetur] HENRICUS DE GANDAVO, *Summa* q. 58 art. 2 ad 3 (129E)

in minori (utraque tamen multiplicat se et repreäsentat rem in utroque lumine, sed efficacius mouens et repreäsentans percipitur et minus efficaciter repreäsentans non percipitur: exemplum patet de stellis, quae ita multipli-  
 5 cant radios suos de die sicut de nocte, licet propter maius lumen non ap-  
 pareant), — uel si est una qualitas sensibilis in tali corpore, ipsa uirtualiter continet duo repreäsentatiua; color enim quodammodo continet lucem, cum sit lux in corpore terminato, et ideo in alio et in alio lumine causat diuersa repreäsentatiua, aliud in maiori lumine, scilicet de die, et aliud in minori,  
 10 scilicet de nocte: et ita semper stat quod non est idem repreäsentatiuum obiecti sub diuersa ratione repreäsentabilis quantumcumque aliud et aliud lumen concurrat; uel si est unum formaliter, diuersum tamen uirtualiter, quia continet uirtualiter diuersa et ideo potest causare diuersa repreäsentatiua, scilicet lucem et colorem in alio et alio lumine.

[*Secunda ratio*] – Secunda ratio sumitur ex parte intellectus agentis qui, secundum Philosophum III De anima, est potentia mere actiua, tum quia est “quo est omnia facere,” tum quia comparatur ad possibilem “ut ars ad materiam”; ergo potest habere actionem realem. Omnis actionis realis oportet aliquid dare terminum realem. Iste terminus realis non recipitur in phantasmate, quia quidquid est ibi, est extensem, et improportionabile ad mouendum intellectum possibilem. Nec etiam intellectus agens causat aliquid in phantasmatisbus, quia non est suum passuum, secundum praedictas auctoritates; nec terminus iste recipitur in intellectu agente, quia nullius est receptiuus. Ergo recipitur tantum in intellectu possibili. Illud primum causatum non potest poni actus intelligendi, quia primus terminus actionis intellectus agentis est facere uniuersale in actu de uniuersali in potentia. Et ad nihil aliud definiuit intellectus agens, quia secundum Commentatorem, III De anima, si essentiae rerum essent abstractae et actu uniuersales, sicut posuit Plato, non indigeremus secundum actum intellectu agente. Sed uniuersale in actu praecedit actum intelligendi, quia est per se condicio obiecti,  
 20 30 quod naturaliter praecedit actum.

Dicetur quod terminus actionis intellectus agentis est ‘obiectum uniuersale sub ratione uniuersalis’ lucens in phantasmate.

13 et<sup>2</sup>] M 36v 16 ut] B 35v

4 lumen] *sup. lin.* + malum (*exp.*) **M** 7 terminato] interminato *ante corr.* **M** 8 re-  
 praeſentatiua] + color enim quodammodo continet lucem **B** 17 materiam] naturam  
**MB** 20 etiam] esse **MB** ??? 22 nullius] nullus **B** 23 primum] primo **MB** 26 de-  
 finiuit] defuit **M** deseruit **B**

16 quo est omnia facere] ARISTOTELES, *De anima* 3.5 430<sup>a</sup>15  
 16–17 ut ars ad materiam] ARISTOTELES, *De anima* 3.5 430<sup>a</sup>11–13

27–28 si...agente] AVERROËS, *In De anima* com.18

31 Dicetur] HENRICUS DE GANDAVO, *Summa* a. 58 q. 2 ad 3

Contra: ‘Uniuersale obiectum sub ratione uniuersalis’ non habet nisi esse deminutum, ut esse cognitum (quemadmodum Hercules in statua non habet esse nisi deminutum, quia repraesentatum in imagine); sed si aliquod esse reale habet, hoc est in quantum est in aliquo ut repraesentante ipsum sub illa ratione, ita scilicet quod intellectus agens facit aliquid repraesentatiuum uniuersalis de eo quod fuit repraesentatiuum singularis. Ergo cum terminus actionis realis non sit obiectum habens esse deminutum ut esse cognitum uel repraesentatum, sed aliquid reale, sequitur quod realis actio intellectus agentis terminatur ad realem formam, in exsistentia, qua formaliter repraesentat uniuersale ut uniuersale, quam formam realem concomitatur terminus intentionalis, ut obiectum uniuersale secundum esse repraesentatum quod habet in specie.

[*Tertia ratio*] – Item tertio sic: Uniuersalius secundum totam indifferentiam suam non potest intelligi nec repraesentari in repraesentatiuuo minus uniuersalis; sed species phantastica est per se et primo repraesentatiua indiuidui ut est hoc; ergo in illa non potest repraesentari uniuersale secundum totam indifferentiam quam habet ad sua indiuidua omnia.

Maior probatur, quia nunc numquam cognoscitur magis uniuersale secundum totam indifferentiam suam nisi quando cognoscitur ut unum cognoscibile omnibus suis inferioribus; sed impossibile est quod ut habet esse in uno singulari, quod cognoscatur ut idem omnibus aliis singularibus, sed praecise illi singulari in quo est; ergo in repraesentatiuuo unius singularis non cognoscitur secundum totam indifferentiam suam. Potest autem intellectus sic intelligere uniuersale secundum totam indifferentiam suam, aliter enim non essent praedicamenta uniuersalia, nec definitiones, nec species, nec genera, nec aliquid huiusmodi, praecise. Ergo non concipitur uniuersale in phantasmate; phantasma enim non est nisi ipsius singularis proprie, et hoc est in quantum singulare speciei specialissimae—maxime si phantasma sit impressum ab aliquo debite approximato.

[*Quarta ratio*] – Item quarto sic: Aut intellectus prout distinguitur contra partem sensitivam potest habere obiectum sibi praesens propria praesentialitate, aut non. Si sic, habeo propositum, quia obiectum non est sibi praesens in cognitione abstractiua ante actum elicitorum nisi per aliquod repraesentatiuum, quod uoco speciem. Si non, ergo non potest habere aliquam operationem sibi propriam sine parte sensitiva, et per consequens nec esse sine ea, secundum argumentum Philosophi III De anima—‘si intellectus non

---

8 repraesentatum] + uel cognitum **MB** 29 sit] ut **B** 35 parte] propria **B**

7.36–8.1 si... separari] ARISTOTELES, *De anima* 1.1 403<sup>a</sup>10–12

potest habere operationem sibi propriam, non potest separari?—unde nec posset habere operationem sibi propriam in qua non dependeret a parte sensitiua.

**< III. Ad quaestionem >**

Dico ergo ad quaestionem quod oportet ponere in intellectu ut habet rationem memoriae, speciem intelligibilem repraesentantem uniuersale ut uniuersale, priorem naturaliter actu intelligendi. Et huius necessitas est duplex: una ex condicione per se obiecti quae est uniuersalitas et quae ut per se ratio obiecti semper praecedit actum, quod non esset nisi esset species impressa in intellectu, sicut concludunt tres primae rationes; alia est condicio et dignitas potentiae superioris, ne ipsa uilificetur, nimium ubi manifeste appareat aliquid repugnans; maxime autem uilificaretur si non posset habere suum obiectum sibi praesens nisi praesentia mendicata a potentibus inferioribus, quibus est ex ratione potentiae coniuncta accidentaliter, et tamen quod aliae potentiae inferiores possent habere sua obiecta propter praesentia, non mendicata; et hoc concludit quarta ratio.

Memoria potest autem accipi tripliciter, uel intellectus sub ratione memoriae: uno modo ut est conseruatua specierum praeteritarum ut praeteritae sunt—et isto modo loquitur Philosophus < in > De memoria et reminiscencia, et de ista etiam aliquid tangetur inferius; alio modo ut est conseruatua specierum repraesentantium obiecta in se, siue sint realiter siue non (et hoc modo loquimur hic de memoria), et dico quod sic, tum propter uniuersitatem, tum propter dignitatem intellectus possibilis; tertio modo prout habet aliquod principium eliciendi notitiam actualem—quod tamen non manet sine actu secundo, quomodo ponit Auicenna speciem in intellectu nostro—et de ista dicetur in quaestione sequenti.

Haec quae supra probauit uidetur expressa intentio Philosophi III De anima, ubi dicit quod anima est ‘quodammodo omnia intelligibilia per intellectum, sicut sensibilia per sensum,’ quod non potest intelligi per habitum, quia habitus non est similitudo repraesentatiua obiecti, quia sequitur actum aliquis habitus.

---

18 Philosophus] **M** 37r 20 obiecta] **B** 36r

18 in] etiam **MB** 23 habet] ait **B**

18 loquitur Philosophus] ARISTOTELES, *De memoria* 1 449<sup>b</sup>24–25, 451<sup>a</sup>14–17

24 ponit Auicenna] AVICENNA, *De anima* pars 5 c. 6 26rb

25 dicetur in quaestione sequenti] DUNS SCOTUS, *Reportatio Parisiensis* I d.3 q.5: Utrum memoria intellectua sit conseruatua speciei intelligibilis cessante actu intelligendi 27–28 quodammodo... sensum] ARISTOTELES, *De anima* 3.8 431<sup>b</sup>21–23

Et confirmatur hoc, quia habitus scientiae, per quem reducitur intellectus de potentia essentiali ad potentiam accidentalem respectu actuum de quibus loquitur Philosophus II De anima et VIII Physicorum, necessario praecedit actum intelligendi; scientia autem quae habitus est, sequitur actum quia generatur ex actibus: unde ista scientia quae reducit intellectum de potentia essentiali ad potentiam accidentalem, est species, quia species uere habitus est, quia nata radicari et firmari in intellectu—sed tamen non omnis habitus est species, quia habitus accidentaliter radicatus et firmatus non est species quae praecedit actum ‘nata firmari,’ quia ista postea firmatur per actum.

Item. Secundum istos, non uideretur aliquis habitus esse ponendus in intellectu nostro sed tantum in uirtute phantastica, quia, secundum quemcumque modum essendi est obiectum in aliqua potentia, secundum eundem modum essendi sunt omnia quae continentur uirtualiter in illo obiecto; ergo si obiectum uniuersale non esset per suum repraesentatiuum in intellectu sed in uirtute phantastica, omnia explicanda et explicabilia de isto obiecto essent ibidem: et ita non esset nisi habitus phantasticus (praecipue si phantasmata ordinatae concurrerent), explicans omnes ueritates scibiles de illo obiecto—et omnis scientia esset in phantasia et perfectio eius, et non esset perfectio intellectus (quod est contra Philosophum)—et sic cum illa species et phantasia contineat uirtute actum intellectus, ergo actus ille erit in phantasia.

Item. Augustinus XII De Trinitate c. 4 et c. 6, et XV, inuestigat Trinitatem, ubi dicit quod impossibile est accipere imaginem Trinitatis ex anima nostra uel in mente, nisi per hoc quod aliquid est in memoria ex quo exprimitur aliud. Tunc arguo sic: si in mente est aliquid parens uerbi, oportet quod hoc sit per aliquid intrinsecum siue exsistens in memoria; sed non est parens uerbi nisi memoria habeat obiectum menti praeiens intra se, alias non esset parens; ergo cum obiectum non sit in memoria quidditatue et realiter, nec phantasma, necessario erit praeiens per speciem intelligibilem.

Sed dices quod propter lumen intellectus agentis in phantasmate, possunt omnia fieri in intellectu et memoria quae fiunt per speciem intelligibilem quam tu ponis, et saluatur praeientia obiecti in quantum actu intelligo uniuersale; nulla ergo necessitas ponendi speciem.

<sup>11</sup> tantum] tamen **B** 22 et c. 6] *om. M* 24 per] *bis M* 27 uerbi] + oportet quod hoc sit per aliquid intrinsecum siue exsistens *del. M*

<sup>3</sup> loquitur Philosophus] ARISTOTELES, *De anima* 2.5 417<sup>a</sup>21–417<sup>b</sup>2, *Physica* 8.4 255<sup>a</sup>33–255<sup>b</sup>5

<sup>23</sup> dicit] AUGUSTINUS, *De Trinitate* 12.4.4 et 15.10.17

<sup>32</sup> tu] *scil. Scotus*

Respondeo quod non sit ponenda plura ubi sufficit unum. Necessitas autem ponendi speciem intelligibilem et propter intellectu rationem uniuersalis ut uniuersale est, quia si non est species, non plus relucet obiectum ut uniuersale in phantasmate quam in pede, nec plus intelligit intellectus in phantasia quam in aliud parte, quia ibi non est magis repraesentatiuum obiecti uniuersalis quam alibi.<sup>5</sup>

Alia necessitas ponendi speciem intelligibilem est propter praesentiam obiecti in intellectu quam habet ex nobilitate potentiae et naturae suae. Natura enim superior uel potentia non dependet ab inferiori, et ideo oportet quod habeat praesentiam sui obiecti, siue suum obiectum intrinsece, quod non potest esse nisi per speciem.<sup>10</sup>

#### <IV. Ad argumenta principalia >

Ad primum argumentum, dico quod concluderet si Deus imprimeret; etiam concludit contra omnem opinionem. Respondeo igitur quod species repraesentat obiectum sub ratione formali sub qua obiectum imprimitur, etiam si ab alio imprimeretur; et hoc est sub ratione quidditatis, quae est ratio agendi. Singularitas autem non est ratio agendi, sed agentis siue modi agendi. Ulterius dico quod quando species imprimitur ab aliquo sicut a causa totali, et tunc repraesentat illud quod est ratio imprimendi et etiam ratio repraesentantis; quando autem non imprimitur nisi a partiali causa, tunc potest repraesentare conditionem agentis, sed sub opposito modo; sic est hic, quia species intelligibilis repraesentabit quidditatem obiecti sub ratione istius singularis et illius, et non erit ratio agendi, quia non est species repraesentans quidditatem obiecti uniuersalis.<sup>15</sup>

Ad aliud, dicendum quod aequiuocatio est de praesentialitate: quaedam enim est praesimalitas realis obiecti et potentiae, siue actiui et passiui; et alia est praesimalitas obiecti cognoscibilis, et haec non requirit praesentiam realem obiecti, sed bene requirit aliquid in quod relucet obiectum. Dico ergo quod praesentia realis obiecti est causa realis speciei, et in illa est obiectum praesens; unde in prima praesentia obiectum est causa efficiens, sed in secunda praesentia est speciei praesentia formalis: species enim est talis naturae quod in ea est praesens obiectum cognoscibiliter, non effectiue uel realiter sed per modum reluentis.<sup>20</sup>

---

26 praesentiam] prae|sentiam **M** 37v 31 quod] **B** 36v

5 magis] + repraesens (*del.*) **M** 9 dependet] + non *exp.* **M** 12 concluderet] includeret **B** 20 sic] sicut **B** 21 obiecti] + uniuersalis. Ad aliud dicendum *del.* **M** 28 et] *sup. lin.* **M**

Ad tertium, quando dicitur quod intellectus patietur passione reali, dico quod intellectus patietur secunda passione, sicut potentia organica uel sensus organicus: primo realiter recipiendo speciem, licet non sit realis sicut passio materiae; et, hac praemissa, sequitur passio cognoscibilis siue intentionalis qua patitur ab obiecto in specie intentionaliter, et ideo intelligere est “motus ad animam,” quia ab obiecto ut in specie. Prima ergo passio est in intellectu, secunda est ab obiecto ut in specie relucente.

5

Ad quartum, quando dicitur quod si sunt plures species intelligibiles, quaelibet mouebit ad propriam intellectionem, dico quod concludit contra omnem opinionem. Dicit enim Augustinus XIV De Trinitate c. 6 quod multa nouit memoria de quibus non cogitat homo. Unde hoc dictum non quaerit nisi antiquam difficultatem, quare scilicet hoc primo intelligitur et non illud, quando dicitur quod omnes species mouebunt simul ad multa.

10

Respondeo ergo quod in principio sensibilia occurrunt sensui, diuersa diuersis uel diuersa uni, inter quae semper est iste ordo: quod unum illorum mouet efficacissime, et mouet efficacissime illam potentiam quam mouet, et efficacius illam quam ad aliam. Motus autem efficacius est phantasiae. Receptis igitur intellectis phantasmatisbus, tunc post dormitionem esset iste ordo, si intellectus non habeat habitum quod phantasma efficacissimum primum mouet, nec est in potestate nostra siue in potestate recipientis illud phantasma. Huic autem phantasiae efficaciter motae per phantasma obiecti efficacissimi, coagit intellectus agens, et immutat intellectum possibilem ad usum speciei correspondentis abstrahendo speciem intelligibilem, et sic sequitur necessario prima intellectio—siue unus actus uoluntatis, et illo habito potest voluntas uel non seruare illam speciem, uel non uti ea, uel potest conuerti ad alia (etsi uoluntas non esset semper efficacissimum prius moueret).

15

Ad probationem quando dicitur quod omnes mouebunt simul uel nullam, dico quod quaelibet mouet aequaliter et proportionaliter, non tamen aequaliter mouet quaelibet simpliciter. Et dico proportionaliter quod sicut paruu calor ad paruam calefactionem, ita magnus proportionaliter ad magnam calefactionem. Sed calor licet sit aequalis proportionaliter et calefactio, non tamen aequalis in perfectione. Et sic est in proposito, quia unicum tan-

20

25

30

---

1–2 passione... secunda] dupliciter **B** 33 in perfectione] imperfectione **MB**

10 Dicit] AUGUSTINUS, *De Trinitate* 14.6.8: Sicut multarum disciplinarum peritus ea quae nouit eius memoria continentur, nec est inde aliquid in conspectu mentis eius nisi unde cogitat; caetera in arcana quadam notitia sunt recondita quae memoria nuncupatur.  
18 post dormitionem] *Vide* DUNS SCOTUS, *In De an.* q. 17 n. 18

tum simpliciter et perfectione mouet, et licet alia moueant ex natura sua proportionaliter.

**< V. Ad argumenta pro opinione aliorum >**

Ad argumentum de loco, scilicet quod intellectus est locus specierum, dico quod ‘loci’ est conseruare, et aliter intellectus saluat speciem quam sensus.

5 Illa ergo potentia debet dici ‘locus’ proprie cuius est saluare speciem. Sed nulla potentia organica est conseruativa specierum nec saluans, quia species possunt corrumpi uel ex indispositione organi uel ex actione contraria; unde Philosophus in libro De memoria et reminiscencia dicit quod senes et pueri sunt male reminiscitui, quia organum in eis est indispositum. In intellectu autem neutrum est.

10 Ad illud quando dicitur de Augustino quod uerbum gignitur non de specie sed de scientia, dicendum <est> quod in multis locis accipit ‘scientiam’ pro specie intelligibili uel pro scientia ut includit speciem. Unde exponit illud “formata cogitatio” a scientia, id est “a re quam scimus,” et sic formatur ab illo in quo obiectum scitum est praesens in memoria; hoc autem est species; ergo formatur species in intellectu. Item XII De Trinitate in fine, “Verbum est simillimum rei notae de qua gignitur.”

15 Ad deductionem de organo, scilicet quod species non est in sensu nisi quia organum est eiusdem dispositionis cum medio etc., dico quod propter neutrā rationem praeceps species est in sensu. Non propter primam, quia Philosophus I De anima: “Forma non est propter materiam sed e conuerso”; dispositio ergo organi non est nisi propter dispositionem istius formae quae est in organo. Nec propter secundam rationem, scilicet ratione comparationis perfectione, quia illa quae sunt sparsim in sensu propter suam imperfectionem possunt esse unitae in intellectu, et modo perfectiori et sine organo; natura ergo dedit organum sensui ut posset operari circa obiecta corporalia, quod potest intellectus sine omni organo.

20 Ad rationem alterius Magistri, dicendum quod aliiquid potest esse in potentia et in ordine primo ad duas formas, tamen secundum diuersas primitates:

29 diuersas] diuer|sas **M** 37v

1 licet] *sup. lin. M* 4 est<sup>2</sup>] et *ante corr. M* 4 speciem] species **MB** 8 in] *om. B*  
12 in multis] *inv. B* 25 unitae] *om. B* 25 modo] non **B**

8 dicit] ARISTOTELES, *De memoria et reminiscencia* 2 453<sup>a</sup>23–24 et 453<sup>b</sup>4–7

14 formata...scimus] AUGUSTINUS, *De Trinitate* 15.10.19: Formata cogitatio ab ea re quam scimus, uerbum est.

16–17 Verbum...gignitur] AUGUSTINUS, *De Trinitate* 15.12.22

21 Forma...conuerso] ARISTOTELES, *De anima* 1 [reference]

quaedam est primitas perfectionis, et quaedam originis siue generationis. Potentia igitur intellectua respectu obiecti est in potentia primo ad cognitionem primitate perfectionis, et est in potentia primo ad speciem primitate originis uel generationis.